




F. P. Payneke

de dicto Paul. Eph. IV., 24.

Diss. exegistica.

Rost. 1627.






Early European Books. Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,299 4° 1529




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,299 4° 1529



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,299 4° 1529



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,299 4° 1529



Early European Books. Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1.299.4° 1529

1.-299-4

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 14°



110104015290

+REX



Ezimns

Dicti Paulini Ephes. 4. v.24.

Ex quo tractatur locus

DE
IMAGINE
DEI IN HOMINE ANTE
lapsum, in lapsu, & post
lapsu:

Quam sub auspicio

D.T.O.M.

P R A E S I D E

JOHANNE TARNOVIO,

S.S. Theol. Doctore, ejusdemq; in Acad.
Rostoch. Professore,

Ventilandam proponit exercitij gratia.

FERDINANDUS P. PAYNGK.

add.s. May, boris pomeridianis.



R O S T O C H I

*Ex officinâ Typographicâ JOACHIMI PEDANI,
Acad. Typog. Anno M DC XXVII.*



Viro admodum Reverendo, Clarissimo, authoritate & religionis sinceritate eminentissimo,

Dn. CASPARO ERASMI BROCH-
MANN O, S. S. Theol. Doct. eximio, ejusdemq; in
Academiâ Haffniensi Professori dignissi-
mo, promotori suo magno.

NEC NON

Clarissimo & excellentissimo viro,

Dn. THOMAE FINCKIO, Phil. &
Med. Doct. celeberrimo, ejusdemq; Pro-
fessori eximio.

Dn. Mæcenatibus, patronis, fautoribus & prece-
ptoribus suis summi honoris & observan-
tia cultu prosequendis,

In sui ulteriorem commenda-
tionem, hanc disputationem
Theologicam, à se conscri-
ptam,

dicat, consecrat & offert,

Ferdinandus P. Payngk.





A. I. C. D. N.

THESIS I.

*I*ud angelo Ecclesia Ephesina Deus in memoriam revocat Apoc. 2. v. 5. id sanè omnes nos bodiè animo singulis horis revolvamus oportet. Μνημόνιον δέ (inquit Deus) πότεν ἐπέστρωνται, καὶ μετενόησον, καὶ τὰ περῶντα ἔργα μήνον. Que verba licet de penitentiā Ecclesie Ephesinae præcipue intelligenda, tamen ad locum, de quo sumus acturi, & ita ad usum nostrum commodè possunt applicari.

II.

Nam primos nostros parentes Deus creavit in sanctitate & justitiâ secundum imaginem suam Gen. 1. v. 27. Sap. 2. v. 23. Col. 3. v. 10. in paradiſo voluptatis constituit, Gen. 2. v. 8. cum dominio super creaturas corporeas, Gen. 2. v. 16. 17. & libero arbitrio ad faciendum bonum & fugiendum malum, Sir. 15. v. 14. omnia eo fine, ut creatori laudes hymnog̃e canerent.

III.

Sed Diaboli astutiâ, 2. Cor. 11. v. 3. invidiâ Sap. 2. v. 24. seductione 1. Tim. 2. v. 14. homicidio & mendacio, Job. 8. v. 44. hominisq; inobedientiâ & delicto, Rom. 5. v. 17. 19. & consensu, Gen. 3. v. 6. lapsi prob dolor, in peccatum, & nos in illis, istam imaginem, ista bona amisimus, unde postea omnia mala extiterunt. Hinc Augustinus: Ab initio sancti & justi eramus. quoties dico, eramus, toties ingemiscamus, quod thesau-

ros incomparabiles amisimus. Homo naturæ suæ nobilitate, quam in creatione suâ acceperat, primus fuit inter creaturas corporeas: post mobilitate suâ cadens peccato, factus est ultimus inter omnes créaturas: nec mirum, quia cum omnes aliæ creature suam stationem servent, nec ab ordine ipsis à creatore præstítuto declinent, solus homo peccando à Deo recessit, & scipsum corrupit.

IV.

Cognoscimus nunc nostra, cum ea, quæ in potestate habuimus, amiserimus, bona, ab quantum mutati ab illo! sanè perditi boni subinde augent memoriam præsentia mala. Nunc omnis cogitationis imaginatio cordis humani mala omni die, Gen. 6, v. 5. imò si ponderemur in staterà, nos ipsâ vanitate leviores effemus, Psalm 62, v. 10.

V.

Hujus memores unde exciderimus boni, nos vult esse Deus, ut agnoscentes nostrum peccatis inquinatam naturam, peccatorum veniam ab ipso precemur, faciamusq; opera nostrâ renovatione digna. Sic futurum ut vincentibus detur lignum vite, quod est in paradiſo Dei nostri, Apoc. 2, v. 7.

V I.

Proposuimus itaq;, oꝝ dñe hac dissertatione de Dei imagine agere ex Eph. 4. v. 24. eruentes inde imaginis Dei in homine indolem 1. ante lapsum, 2. in lapsu, 3. post lapsum: ad quod adsit nobis Deus suagratia, Amen.

V II.

Insignis est parola, quam attulit Dominus noster Jesus Christus, Luc. 15. v. 11. ad finem capitilis, de filio prodigo. Ut autem varia expositio, ita nec illa inconcinnia est, quando de imagine Dei explicatur. Creavit enim Deus duos filios. Alterum Angelos, et si Angeli non conveniant ex omni parte cum seniori-

seniore filio, tamen docendi gratia vocabimus nunc Angelos seniorem Dei filium (verba sunt Brent. hom. 10. in 15. Luc.) Alterum Adamum, hic junior est Dei filius, quem imagine suâ propriâ ornatum, collocavit in paradisum, tanquam paternam hæreditatem, ut pro libertate arbitrij administraret eam. Paulò autē post Adam bona sua nō quidem convivio vini, sed pomorum ita dilapidavit, ut non se tantū, sed etiam omnes suos posteros in varia calamitatum genera conjecterit. Acta autem pœnitentia, dum se consolatur semine promisso, Deus ipsum, & totum genus humānum in gratiam recepit. Stolam priorem amissam in baptismo quodammodo induit, Tit. 3. v. 5. 2. Cor. 3. v. 18. Colos. 3. v. 9. annulo & arrabone spiritus obligavit 2. Cor. 1. v. 22. ac pedes idoneos ad præparationem Evangelij pacis fecit, Ephes. 6. v. 15.

VIII.

Hanc imaginem Dei paulò accuratius consideraturi, necesse est obseruemus vocabuli imaginis homonymiam. Est enim duplex imago Dei; una naturalis in solo filio Dei, Colos. 1. v. 15. Rom. 8. v. 29. Heb. 1. v. 3. Altera gratuita, quæ in nobis est Ep̄b. 1. v. 6. Rom. 5. v. 15. I. Pet. 5. v. 10. & de qua nobis hic sermo. Alij bic distinguunt imaginem Dei in perfectam & imperfectam: sed nos ita non loquimur, cum talis locutio non inveniatur in Scripturâ. Alias vocabulum imaginis usurpatur, vel pro qualicunque externâ specie Apoc. 13. v. 14. vel pro formato ad imitationem alterius, sic duo sibi similes, alter alterius imago dicitur: item Heb. 10. v. 1. opponuntur sibi invicem σκιὰ καὶ ἡ εἰκὼν, &c.

I.

IX.

Quæritur autem nunc, qualis imago hæc gratuita fuerit ante lapsum? Respondet Apostolus Paulus nominando ju-

A 3

stitiam

stitiam & sanctitatem veritatis, q. d. imaginem Dei fuisse
placentem humanae nature concreatam integritatem, constan-
tem notitiâ Dei & creaturarum Colos. 3. v. 10. justitia & san-
ctitate, Gen. 2. v. 19. libero arbitrio ad faciendum bona & fu-
giendum mala, Sir. 15. v. 14. deniq; dominio super creaturas.

X.

Tria ergo constitutiva ingrediuntur hanc imaginem. 1.
intellectus, 2. voluntas. 3. facultates ceterae, ratione subjecti.

XI.

In intellectu hominis omnium rerum humanarum divi-
narumq; vera & perfecta cognitio erat, ut testantur dicta,
Gen. 1. v. 31. Eccles. 7. v. 30. Sir. 17. v. 5. Colos. 3. v. 10. in vo-
luntate, suavissima sanctissima consensio, quod colligitur ex
Novi Adami Jesu Christi studio. Sicut enim ille Job. 4. v. 34.
omnem delectionem in amore Dei semper positam habuit, ita
& prior Adam in Paradiſo & post lapsum renatus quilibet,
faciet Psal. 122. v. 1. in ceteris viribus erat promptum obſe-
quium Prov. 8. v. 30 31. 32.

XII.

Inter has qualitates numeratur etiam immortalitas
quam homini fuisse concretam contra Pelagianos & Photianos probatur. 1. quia homo conditus fuit ad auctoritatem, Sap. 2. v. 23. 2. quia conditus ad imaginem Dei, que etiam
complectitur immortalitatem, Gen. 1. vers. 27. 3. quia mors
comminationis loco homini denunciatur. Gen. 2. v. 17. 4. quia
mors per invidiam diaboli Sap. 2. v. 24. protoplastorum pec-
catum, Rom. 5. v. 12. & 6. v. 23. 1. Cor. 15. v. 21. 55. introiit in
mundum. 5. quia tempore ἀποκατεστώς πάντων, Act. 3. v. 21.
mors non erit Apoc. 21. v. 4. igitur nec fuit in statu integri-
tatis. Problemata hinc duo 1. An contraria sint, 1. Cor. 11. v. 7.
& Gen. 1. v. 27. Neg. 11. An immortalitas fuerit naturalis
proprietas? Aff.

Dam-

XIII.

Damnantur hinc. 1. Error Flacianorum, qui imaginem
Dei ipsam substantiam hominis fixerunt. Nam sequeretur,
imaginem esse vel ipsum hominem, aut animam, aut corpus,
aut substantiam diversam ab homine, aut partem essentialēm
anima. Quæ omnia absurdā sunt.

XIV.

Secundò error Anthropomorphitarum, qui Deo humanam
formam affinxerunt. Refutatur enim ex Job. 4. v. 24. Luc.
24. v. 39.

XV.

Tertiò Manichæorum, qui imaginem Dei in anima qui-
dem posuerunt, sed addiderunt eandem animam hominis ex
substantia Dei esse, quod falsum, tum enim homo esset Deus
absq; peccato.

XVI.

Quartò Photinianorum, qui imaginem Dei in Dominio
super creaturas principaliter ponunt. Convincuntur enim
inde. 1. quod quidam gerant imaginem Dei, qui tamen domi-
nio destituantur. E.g. Christus et si Deus Rom. 9. v. 5. omniū
dominus Job. 3. v. 35. Matth. 28. v. 18. Psal. 8. v. 7. in exina-
nitione fuit pauperrimus 2. Cor. 8. v. 9. Zach. 9. v. 9. Mat. 8.
v. 20. Job. 12. v. 6. item Paulus, 2. Cor. 6. v. 10. Et multi alij
sancti demortui. 2. quia dæmones & filij hujus seculi Job. 21.
v. 9. 8. 9. Psal. 144. v. 13. dominantur, qui tamen non habent
imaginem Dei. 3. quia potiora dona sunt sanctitas & justitia,
quam dominium super creaturas. Confer 1. Cor. 1. v. 26. Rom.
14. v. 17. 4. quia in restauratione imaginis dominium in-
bruta non restauratur principaliter.

XVII.

Ut autem illustriora hæc fiant, probatur imaginem in-
ista

istâ qualitatum perfectione constare, ex dicto nostro, duo elicimus theoremata. Primo dicit Apostolus in renatis renovari novum hominem Epb. 4. v. 23. 24. unde concludimus: quod per renovationem acquiriturè, per carnis vetustatem non habetur, Joh. 3. v. 6. Atqui per renovationem imago Dei acquiritur. Ergò imago Dei consistit non in animæ essentia, sed qualitatibus, & aliud anima, aliud imago Dei.

XVIII.

Deinde docet Apostolus illam consistere in justitiâ & sanctitate veritatis, unde iterum argumentor: Quæ veritatis agnitus, ex Spiritus Sancti illustratione oritur in hominibus, non est concreata animæ humanae post lapsum proprietas, sed est lux per Spiritus Sancti, & verbi, Φωτισμὸν accensa, Eph. 5. v. 8. & 1. v. 17. Iob. 8. v. 22. Iob. 1. v. 9. & 9. v. 39. Talis autem est imago Dei, ergò non in animæ essentiâ ponenda.

II.

XIX.

Nunc dicendum de Imaginis Dei in lapsu indole. Quæritur ideo, qualis fuerit imago Dei in ipso lapsu? Resp. quod ex precepto Apostolico, οὐδύσαια τὸν κρείον ἀνθρώπον, colligatur abundè, quid imagini in lapsu acciderit. Nempè, 1. imago ista est exuta, siquidem illam induere nos oporteat. 2. est veterata, varia vitia ejus loco hominem occuparunt, qua priorem imaginem deleverunt deformaruntq.

XX.

De priori observandum, ablationem hanc non ipsam hominis substantiam abolevisse, integratatem & excellentiam naturæ depravasse. Quod autem amiserit, in causa fuit mandati divini violatio: quocunq; die comederis ex ista arbore, morte morieris, Gen. 2. v. 17.

Fluunt

XXI.

Flunt binti consecaria, 1. Quæ lapsus causa. Resp. non Deus Psalm. 5. v. 5. Gen. 2. v. 17. Sirac. 15. v. 14. sed diaboli seductio & hominis propria voluntas. 2. Num ex 1. Tim. 2. v. 14. posset probari, Adamum non fuisse seductum? Neg. & conferatur Rom. 5. v. 14. 15. 1. Cor. 15. v. 22. 3. Num solus e-
sus externus poni fuerit causa amissionis imaginis D E I.
Neg.

XXII.

Porro affirmativam hujus nostræ sententia probantes,
adducimus pro nobis tum testimonia scripture, Ephes. 1. v. 8.
Rom. 8. v. 7. Epb. 2. v. 3. Rom. 7. v. 23. Colos. 2. v. 3. Ephes. 2.
v. 1. tum nationes. 1. quia si renovandi sumus, ut ex novâ qua-
dam creatione in nobis restituatur imago Dei, utiq; erit amis-
sa. Assertionem confirmant Colos. 3. v. 10. 2. Cor. 3. vers. 18.
Epb. 4. v. 23. & Ambros. in 1. Cor. 15. cap. ait: Peccator ima-
ginem Adæ portat, justus vero imaginem Christi. Ergo sicut
portavimus veterem hominem ante baptismum, ita & post ba-
ptismum portemus novum. 2. si aliter describitur homo ante
lapsum, quam post lapsum, homo imaginem Dei amisit sed
verum prius; Ergo & posterius, vid. 1. Cor. 15. v. 49. & Da-
masc. lib. 4. Orth. fidcap. 4.

XXIII.

Constitutæ bac sententiæ orthodoxæ, facile animadvertis-
mus, quid respondendum sit ad argumenta adversariorum,
qui contrarium nobis obtrudere volunt: 1. enim non obstat,
quod homo etiam post lapsum dicatur imago Dei, Gen. 9. v. 6.
Sap. 2. v. 23 Jacob. 3. v. 9. Gen. 5. v. 1. Nam hoc scriptura
dicit vel in respectu ad primam creationem, vel ad reliquas
imaginis divine, vel ad beneficia Christi. 2. Nec dictum
Psalm 39. v. 7. quia pro imagine legendum umbra, quod in-
B telli-

telligitur de vitâ nostrâ totâ in hoc mundo transigendâ. 3. Nec
obstat dominium super creaturas, quippe quod non est prin-
cipalis pars divine imaginis, sed tantum minus principalis,
valdè nunc labefactata.

XXIV.

Sequitur alterum membrum, ubi itidem tenendum, licet
ab hominibus ablata imago Dei sit, tamen tenues quedam scin-
tillæ & indicia turpis & honesti, justi & injusti retinuerunt,
de quibus Paulus Rom. 2. v. 14. 15. quanquam illæ non sint ipsa
illustris imago, ad quam primus homo fuerat conditus; nec
tñ Phœt, sed tñ Xæcili insint, donec conformitas illa, omni-
umq; animæ facultatum congruens ad voluntatem pavae mu-
via, qualis primo erat in homine, decurso bujus vite termino,
in nobis iterum perficiatur.

XXV.

Usus vero harum reliquiarum est sextuplex potissimum.
1. testimonium pristinae præstantie. 2. conservatio externæ di-
sciplinae, 3. indagatio cultus divini, Act. 17. v. 27. 4. indicium
misericordiae divinae. 5. Gloria Dei Psal. 19. v. 1. 6. convictio
improborum, Rom. 1. v. 18. 19.

XXVI.

Oriuntur hinc dubia I. An in mente sint relictae istæ scin-
tillæ imaginis? Aff. II. An detur peccatum originale? Aff.
& conf. Gen. 8. v. 21. Job. 14. v. 4. Jer. 17. v. 9. 4. Esd. 4. v.
30. Job. 3. v. 6. Job. 1. v. 13. Rom. 5. v. 12. Epb. 2. v. 3. 1. Job. 3.
v. 4. 5. Rom. 7. v. 17. Gal. 5. v. 16. III. Utrum omnia natura-
lia in homine permanerint integra? Neg.

XXVII.

Excludimus igitur errores Anabaptistarum, qui pecca-
tum originis planè pernegan: Zwinglij, infantes ideo à
peccatis immunes pronunciantis, quia legem ignorant Rom. 4.
v. 15.

v. 15. interim non videntis, naturam infantum, prout est ex carnali generatione, & peccato corrupta, ἀνομον esse: Pontificiorum, qui volunt naturalia in hominibus mansisse integras.

III.

XXVIII.

Restat ultima imaginis divine meditatio. Qualis nunc sit post lapsus? Respondet divinus Moses in Genes. 3. v. 7. Aperiebantur oculi ipsorum, & videbant se esse nudos, consueruntque folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Hic vides quod postquam primiparentes in lapsu imaginem amiserint, post lapsum facti sint nudi, Luc. 10. v. 30. miseri Esa. 64. v. 6. omnis generis calamitatibus subjecti.

XXIX.

Deus autem, qui est Deus omnis consolationis, 2. Cor. 1. v. 3. statim ab initio promittit semen mulieris Christum Iesum, Gen. 3. v. 15. quem etiam in plenitudine temporis emisit, factum ex muliere, factum sub lege, ut huic subjectos redimeret, ut adoptionem filiorum recipieremus, Gal. 4. v. 4. scilicet quando venerat, destruxit opera diaboli, 1. Job. 3. v. 8 confortaturque cum oves perditas ex domo Israel Matt. 15. v. 24. &c. tum omnes alias Matth. 18. 11.

XXX.

Quomodo vero facta sit ista restauratio, docet Apostolus Petrus, 1. Pet. 1. v. 3. 4. ubi duorum meminit salutis reparanda mediorum, Regenerationis nostrae, & Resurrectionis Christi. Per regenerationem nascimur filii Dei, Job. 1. v. 13. qui antea eramus inimici Dei Colos. 1. v. 21. Rom. 5. v. 10. quae nativitas consistit in verbo & sacramentis, 1. Pet. 1. v. 23. Job. 3.

v. 5. Per Resurrectionem admonemur autem Christi, ut & nos
in novitate vite ambulemus.

XXXI.

Includuntur hæc duo in Baptismo. De quo memorabilia sunt verba Luther. lib. de Captiv. Babylon. tom 2. VVit. Lat. An. 1546. p. 80. Peccator non tam ablui quam mori debet, ut totus renovetur in aliam creaturam, & ut morti ac resurrectioni Christi respondeat, cui per baptismum commoritur & corresurget. Et paulo post. Quamdiu vivimus, semper id agimus, quod Baptismus significat, id est, morimur & resurgimus: morimur, inquam, non tantum affectu & spiritualiter, quo peccatis & vanitatibus hujus mundi renunciamus, sed revera vitam hanc corporalem incipimus relinquare, & futuram vitam apprebendere, ut sit realis (quod dicunt) & corporalis quoque transitus, ex hoc mundo ad patrem. Quibus adjungantur verba Chrysost. hom. 9. epist. ad Heb. Sicut mortuus est Christus in cruce, sic & nos in baptisme, non carni, sed peccato. intuere nunc mortem & mortem: ille mortuus est in carne nostrâ, vetus autem homo sepultus est, & surrexit novus conformis factus similitudini mortis ejus; si ergo necesse est baptizari iterum, necesse est rursus eundem ipsum morte: Baptisma enim nihil aliud est, quam interitus ejus qui baptizatur, & resurrectio illius. Hec illæ. Sic Deus vult, ut portemus imaginem cœlestis, 1. Cor. 15. v. 49. & si mundi rectique incesserimus, statim evigilabit, & pacatum reddat habitaculum justitiae nostræ Job. 8. v. 6. atque ita servabimur per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, ut justificati ipsius gratia, heredes simus, secundum spem vite æterne, Tit. 3. v. 5. 6. 7.

XXXII.

Verum dubitare quis poterat, num perfectè imago Dei
in

in Baptismo reparetur? Respondet optimè Lutherus in conc.
8. de Baptism. tom. 1. VVit. An. 1545. pag. 72. b. Significatio
bujus sc. baptismi spiritualis regeneratio, donum gratiae &
justitiae, illa in baptismo quidem incipiunt, non tamen prius
perfectè ea consequimur, quam moriamur, &c. Nam quo-
niam carnales sumus Rom. 8. v. 14. manet caro in nobis, quam-
diu vivimus, qua non permittit, ut perfectè regeneremur.
Summus igitur & perfectus gradus erit, cum in futura glo-
riâ Christo reparatori nostro conformabimur.

XXXIII.

Rejiciendus hic error Anabaptistarum quorundam, hoc
lavacrum regenerationis planè tollentium, sine quo tamen
Christus dicit neminem salvari Job. 3. v. 5. & Paulus 1. Cor.
15. v. 50. dicit carnem & sanguinem non possidere regnum
Dei. Et Johannes in Apoc. 21. v. 27. ait commune nibil intran-
turum in regnum Dei: necesse ideo, ut purgemos nos. Dein-
de error Photinianorum contemnendus, qui hominem pecca-
torem proprijs viribus semet ipsum purum facere docent,
quod est extenuare, imò abjecere meritum Christi.

XXXIV.

Pro sententiâ nostrâ probandâ, sc: in Baptismo renovari
imaginem Dei, adducimus hæc argumenta: Prius ex nostro
dicto desumitur, significatum per verbum ēvđouadou, quod
est induere: de quo insignis est locus Gal. 3. v. 27. quicunq; in
Christum baptizati estis, Christum iudicatis, quoniam cer-
tum & evidens est testimonium, nos in baptismo (spirituali
Circumcisione) exuere corpus peccatorum carnis Colos. 2. v. 11.
vicissimq; induere absconditum cordis hominem, in incorru-
ptibilitate mansuetum & quietum spiritu in conspectu Dei
preciosum 1. Pet. 3. v. 4. Hæc vera est vestis nuptialis Matt.
22. v. 11. Quapropter & Prophetæ Esaias, nomine totius

Ecclesiae, Isa. 61. v. 10. dicit, induit me vestimento salutis &
indumento justitiae operuit, quasi sponsum sacerdotali ornatu,
& quasi sponsam ornatam monilibus. Conferatur Ep. 5. v. 25.
26. 27.

XXXV.

Proximum testimonium desumitur ex verbo μεταμορφώσ-
δων transformari 2. Cor. 3. v. 18. cuius evidens argumentum
Rom. 8. v. 29. quos præscivit & prædestinavit conformes
συμπόσιος imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis
fratribus, &c. unde & vult Paulus in suis Galatis μορφώσαν-
τες Gal. 4. v. 19. cupitq; se configurari morti Christi Philip.
3. v. 10. Sed talis transformatio fit in baptismo Rom. 6. v. 13.
18. 19. 1. Thes. 4. v. 3. &c. quia hoc metamorphosis non placet
nisi fiat in regeneratis, immo in non renatis hoc non cadit.

XXXVI.

Ita habuimus doctrinam de imagine Dei brevissimis the-
sibus inclusam. Cujus recordatio, quoties animum subit, toties
de tribus simul cogitabimus; præterita captivitate, presenti
libertate, & vicinâ mortalitate.

XXXVII.

Legimus de populo Israelitico, in Exodo sacrâ, quod post
mortem Josephi, varijs servitutibus Aegyptiacis fuerit sub-
jectus, sed Deus per manum Mosis eductum pristine libertati
restituit. Sic & nos missi quondam eramus culpâ nostrâ sub le-
gis peccati, mortisq; jugum lamentabile, quando divinam i-
maginem amiseramus. Ibi cœlestis ira fornax in stipulas sive
actiones & labores peccatorū luteos succensa nos denig; absor-
ptura fuerat universos, nisi λύεων ille, cuius typum Moses
gerebat, nos potenter ex igneo illo carcere eduxisset, hostes
spirituales undâ sui sanguinis submersisset, nobisq; sedem pro-
missionis eternam aperuisset.

XXXIX.

Consimiliter scriptura meminit sacerdotum & senio-
rum

rum quorundam qui ex captivitate babylonica cum Esdrâ Je-
rosolymam venerant: hi videntes fundamenta prioris tem-
pli, dicuntur aspectu posterioris ad lacrymas provocati.
1. Esd. 3. v. 12. quanto magis nos in memoriam nobis revocare
convenit statum peccati, in quem lapsi amisimus imaginem
Dei illustrem. Christus Jesus autem Salvator noster in hoc
mundo restituit in tantum, in quantum ipsius verbo & sacra-
mentis recte convenienterq; utimur, donec binc in cælestem
patriam, ubi perfectissimam accipiemus imaginem, migrave-
rimus.

XXXIX.

Nec non Absolon filius Davidis Charissimus quando erat
pulcherrimus omni macula carens, fertur honore isto conten-
tus esse noluisse, verum regiam patris coronam appetens occu-
buisse, 2. Sam. 14, 15, 16, 17, 18. ita quoq; Adam filius Dei per
creationem charissimus, & pulcherrimâ Dei imagine orna-
tissimus, honore isto non contentus occubuit, occubuisseq; per-
petuò, nisi filius Dei ipsum liberaffet, manuq; medicâ succur-
risset. vid. Job. Arndt. lib. 1. cap. 2. de Christ.

X L.

Hæc ad nostram doctrinam scripta suut, Rom. 15. vers. 4.
ut reminiscamur, unde exciderimus, & ut pænitentiam
agentes bonis operibus studeamus, Apoc. 2. v. 5. quod si fece-
rimus, duplex hoc ex loco nobis usus proveniet: nimirum ca-
gnitio Dei, & nostri.

X L I.

Deum homo cognoscit ex hoc loco, quod is omnia sit, imò
summum bonum, unde omnia suam essentiam habeant. Nam
quia homo imago est bonitatis divinae, erit Deus essentialiter
summum bonum, vita, amor, sanctitas. unde Matth. 19.
v. 16.

v. 16. 17. interroganti cuidam habenti Christum pro puro homine: bone Magister, quid faciam, ut habeam vitam aeternam; respondit Dominus: quid me dicitis bonum? nemo est bonus nisi solus Deus: id est, Deus est solus essentialiter bonus, preterquam illum, & sine illo, potest nihil boni constare.

XLII.

Ideo illi soli debetur omnis laus, gloria, & benedictio, Apoc. 15. vers. 13. & nulli creature, Dan. 9. v. 7. pro hac concreata imaginis excellentia: immo non tantum pro communicatione, sed etiam pro amissa reparatione, ut fecisse Apostolos legimus, Gal. 1. vers. 4. 5. Ephef. 1. vers. 1. Pet. 1. v. 3. Apoc. 1. v. 6.

XLIII.

Seipsum ita cognoscit homo, quando pristine dignitatis memor bodiernam miseriam serujs gemitibus deplorat, nec peccatis operibusq; infrugiferis tenebrarum amplius serviens Ephes. 5. v. 11. implicat se vici sim servitutis jugo, 2. Cor. 6. v. 17. sed Deo Redemptori gratias agit, repetens illud Exod. 15. v. 1. 2. cantabo Jehovah, quia magnificatus est: equum & sefforem ejus projecit in mare: fortitudo mea & laus est Jehovah: fit enim in salutem iste Deus meus: propterea tabernaculum faciam ei, ipse Deus patris mei: propterea exaltabo eum, &c.

XLIV.

Tum quoq; cognoscit se ipsum homo, cum amissas dotes per Christum indies reparare studiosè contenerat, quod docet Apostolus Petrus 1. Pet. 1. vers. 17. 18. 19: Si patrem invocatis eum, qui judicat sine acceptione personarum, secundum uniuscu-

nius cuiusq; opus in timore commorationis vestre tempus con-
versamini: scientes, quod non corruptibilibus argento vel auro
redempti estis de vanâ vestrâ conversatione paternâ tradicio-
ne acceptâ, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati & in-
contaminati Christi.

XLV.

Porismata ex nostro dicto hæc fluunt generalia:

- I. Imaginem Dei per lapsum esse amissam.
- II. In Baptismo renovari hominem, & Veterem corru-
ptum induere novum.
- III. Hominem absq; renovatione jam Deo non placere.
- IV. Imaginem Dei verè fuisse in hominibus ante la-
psum.
- V. Imaginem Dei consistere principaliter in justitia
& sanctitate originali, minus vero principaliter in Dominio
super creaturas.
- VI. Imaginis Dei post lapsum sunt quædam rudera, que
tamen non sunt ipsa illustris Dei imago.

XLVI.

Specialia autem sequentia sunt. Meditanda

- I. Dei patris erga homines misericordia, donantis suam
imaginem homini.
- II. Dei filij erga homines amor, restaurantis imaginem
Dei in illis.
- III. Dei Spiritus Sancti gratia, renovantis & abluentis
nos per baptismum, ut indies resurgere possit novus homo.
- IV. Nostra obedientia, quâ inde sinenter vita novitati
studeamus oportet.

XLVII.

Specialissima hæc addamus, que spectant scriptura que-
dam

dam dicta, prout citantur in hoc loco, ostenditur, non recte applicari ab adversariis.

I. Ecclesiastici cap. 17. vers. 3. vitium versionis est: in Græco habetur ιχθύς non διερητή.

II. Psalm 8. v. 7. non loquitur de statu hominis ante lapsum, sed de Christo, ut apparet ex applicatione, 1. Cor. 15. v. 27. Eph. 1. v. 22. Heb. 2. v. 6.

III. Parab. Luc. 10. v. 30. nihil probat, quia non est ejus scopus tractare de imagine Dei principaliter.

IV. Sap. 2. v. 23. in Græco est ἐπὶ ἀφθαρτίᾳ, non inextinguibilis, quod vulgata versio habet.

V. Ecclesiastici 10. v. 15. non loquitur de prima ē. originali, sed ex primā ortā ē actuali superbia.

VI. Rom. 5. v. 19. εἰς ὁμοίωσιν, non recte vertitur per quatenus, sed per quare, ut Matth. 26. v. 50.

VII. Heb. 7. v. 9. ὡς ἐπὶ ἀπόστολον significat uno verbo dicere, summatim dicere.

XLVIII.

Atqui ita jam concludimus locum de imagine Dei, pro instituti nostri ratione breviter tractatum: Eudem vero Deum supplicibus votis invocamus, velit sibi prout ab initio, ita ē nunc Ecclesiam suam bac mundi senectā graviter afflītam, habere commendatam, curetq; ne quid detrimenti ab hostibus capiat, propter sanctum nomen.

suum in secula benedictum,

Amen.

— 8 —

— 9 —

Erudi-

Eruditissimo

Dn. RESPONDENTI.

Hic demum est sapiens, sapiens uti censet Homerus,
Qui retrò videt, & qui simul antè videt:
Præteritum & præsens qui perspicit atq; futurum,
Et sic prudenter, quod gerit, omne gerit.
Illa profana sacris si quisquam accommodat, ajat:
Est sapiens, qui scit, quid sit imago Dei.
Nam quid ea antè, quid in, quid post lapsum anxium
Adami

Jam fuerit, sit, erit, quæ bona, quæ mala sint,
Omnia mente tenet scripturā interprete sacrā,
Et vult in primum posse redire locum:
Exoptatq; prior quicquid corruptit Adamus,
Posterior merito restituisse velit:
Velle bonum & rectum, quod verum est, cernere acutū,
Maximum amare Deum, proximum amare suum.
In pulchro hoc stadio & studio si pergere porrò
FERDINANDE voles, nomen habere vales:
Nomen, divinam quod amas sapientiam, & illam
Nunc didicisse probè, post docuisse cupis,
Gratulor hanc mentem, &, quod opus molirier in te
Cœpit, perficiat gratia dia, precor.

L. M. Q. F.
Præses
Johannes Tarnovius.

Absalon-

Absalomo cupidus patris abstulisse tiaram
Suspensus vitam perdidit ipse suam.
Invidus altisoni sic Adam patris honoris
Cum vita amisit quicquid honoris erat.
Ergo quum dextre doceas bac vitaq; bonosq;
Juste restitui qua ratione queat,
Lauru donatus sentisces gaudia cœli,
Ac erit ornatus pristina imago tuus.
Macte igitur virtute nova, mactatus honore
Primævo patriæ fulgida stella clues.


Honoris & Moris ergo
L. Mq. f.

Johannes Nieman
Neost. Holsatus.

Nobile Doctrinæ specimen FERDINANDE dedisti
Nobilis ingenij fertilitate scatens.
Publicus hinc ardescit amor, laus inde resultat,
Tollere quam nescit mortis avara manus.
Non hinc incipiam limâ mordacius uti,
Non versu nomen magnificabo tuum.
Nil etenim prodest hederam suspendere vino
Vendibili ; ut verè vox cluit illa vetus.
Quin modo perge manu doctorum volvere scripta
Assiduâ, Eusebien cum pietate colens.
Sic quondam poteris Patriæ superesse columna,
Et Matri atq; Patri dulce levamen, Amen.
Ita gratulari voluit

Christianus Frieman Lubec.





Early European Books. Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,299 4° 1529